

Scilicet hoc et jam restabat vulnera in illo,  
Quo nullum poterat durius esse malum:  
Ut gravis abriperes præstantem dotibus ampli  
Ingenij, nocuo funere, LOBECIUM?  
LOBECIUM, quo non aliis veldoctior ullus,  
Vel morum precio plaris emendus erat:  
Cui navis nostræ rector non rectior ullus,  
Candidiorvè olim nemo futurus erat.  
O fatum! ô duri miseranda pericula nostri  
Temporis! in quod me, mi Deus, ecce rapis!  
Aspicis, ut tumido meretrix Babilonica fastu  
Regnet, ut in cœlum tota furenter eat.  
Non Deus es, placidam qui ducas corde quietem:  
Nec stertis; quondam stertit ut ille Baal.  
Sed vigil es, oculos vigiles, auremq; patentem  
His super, in terris quæ peraguntur, habes.  
Ergo audis, quæ blasphemæ spumaverit ore  
In sanctum flamen stigma Gretserius:  
Gretserius: quo non aliud monstrosius ullum  
Monstrum: summanni leno, cloaca, seges;  
Pontificis palpo: Missæ falsarius: erro:  
Sacerdotum effractor: sannio: scurra: Thraso:  
Baptismi stryx: prædator calicisq; catillo:  
Tarpel insaniens Gymnasij cœculus.  
Ergo audis, quæ blasphemæ spumaverit ore  
In sanctum Flamen stigma Gretserius.  
Audisti, atq; audis, memoriq; hæc mente reponis:  
Et tamen in misericordia ruis immeritam.  
Meq; f-ris jaculis istis quibus ille periret,  
Perfidus in Jovam, Gretserius melius.  
Nonne tuum colui semper sanctissima numen?  
Nonne tui Gnatii gloria, cura mea est?  
Nonne tibi mentem castam, non pignus amoris  
Intactum, & fidei jura reservo, Pater?  
Hiccinè honos nostræ pietatis? præmia nostra  
Hæccine? præstantis LOBECI I tumulus?

Heu